



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICALIMANAE

(CALLAËNSIS)\* DETRACTIS EX ARCHIDIOECESI LIMANA QUIBUSDAM TERRITORIIS,

NOVA EFFICITUR DIOECESIS, NOMINE «CALLAËNSIS». Aptiorem Ecclesiarum dispositionem in animo agitare earumque, si oporteat, partitionem ad exitum perducere, quo aptius videlicet fidelium necessitatibus prospiciatur, unum est, nec minoris profecto momenti, officiorum Nostrorum, in quibus exsequendis studium omne omnemque operam collocamus. Libentissime igitur concedendum esse censuimus venerabili Fratri Romolo Carboni, Archiepiscopo titulo Sidoniensi et in Peruviana Republica Apostolico Nuntio, qui, post auditum venerabilem Fratrem Ioannem S. R. E. Cardinalem Landázuri Ricketts, Archiepiscopum Limanum, ab Apostolica Sede petiit ut, diviso archidioecesis Limanae territorio, nova intra limites civilis regionis vulgo Callao dioecesis excitaretur; sequentiaque esse decernenda. Ab archidioecesi Limana territoria urbis Limanae separamus, seu districtus vulgo Callao, Bellavista, La Punta et Reynoso Carmen de la Legua; insulas praeterea vulgo San Lorenzo, El Fronton, Cavinzas et Redonda, iisque dioecesim condimus, *Callaënses* appellandam, cuius hi erunt fines: ad occidentem solem et meridiem, Oceanus Pacificus; ad orientem solem et septemtrionem, limes in regione Callao ita describitur: initium sumit ex loco «Quadras» triginta et triginta uno viae «Costanera» appellatae et pergit septemtrionem versus, secundum extremas domus loci «Maranga» usque ad viam seu «Avenida de la Marina»; hinc orientem versus pergit ad compitum eiusdem viae et «Avenida Elmer Faucett», quam ad septemtrionem sequitur usque ad compitum cum «Avenida Venezuela»; hanc orientem versus inde sequitur usque ad terminum civilis provinciae «Callao» inter «Huanca San Marcos» et «Ospital Centro Medico Naval», quod novae dioecesi adscribitur; ex hoc termino limes adversus septemtrionem recta via subit usque ad «Avenida Oscar Benavides», quam sequitur usque ad terminum provinciae contra «Unidad vicinal n. 3» positum; hinc limes recto tramite ad septemtrionem vergit usque ad flumen «Rimac», quod inde occidentem versus sequitur usque ad compitum eiusdem fluminis et memoratae «Avenida Elmer Faucett», quam inde sequitur usque ad «Avenida El Emisor»; hinc eandem «Avenida El Emisor» septemtrionem versus sequitur limes attingit flumen «Chillon», cum quo ad Oceanum Pacificum iter pergit. Conditae dioecesis sedes episcopalis erit in urbe Callao, episcopalis autem magisterii cathedra in sacra aede quae eadem in urbe Deo dicata est in honorem Sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae, quae scilicet tamquam templum cathedrale habebitur, cum iuribus et privilegiis congruis. Episcopo autem, praeter iura et

privilegia, omnia erunt officia et obligationes Episcoporum residentium propria. Limanae praeterea Sedi metropolitanae suffraganea erit; itemque Episcopus, eiusdem Ecclesiae Metropolitanae suffraganeus, ad normam Iuris Canonici. In nova dioecesi Canonorum collegium condi iubemus, iuxta normas per alias Litteras Apostolicas edendas; interim tamen Consultores dioecesani eligantur, a munere quidem cessaturi, Canonicis constitutis. Mensa episcopalis, quae dicitur constabit Curiae emolumentis, fidelium sponte oblatis pecuniis, bonorum denique parte, quae dioecesi Callaënsi ad normam canonis 1500 Codicis Iuris Canonici obvenient. Ad Seminarium quod attinet sacrorumque alumnorum institutionem communis iuris normae serventur, prae oculis habitis peculiaribus Sacrae Congregationis de Seminariis legibus atque decreto «Optatam totius» Concilii Vaticani II. Quod insuper dioecesis regimen spectat, administrationem, Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem aliaque id genus, quae sacri canones praecipunt serventur. Simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum adductae fuerint, sacerdotes ei Ecclesiae adscripti maneant, in eius territorio beneficium vel officium legitime habeant; ceteri autem sacerdotes, clerici Seminarii tirones ei, in qua legitimo domicilio degant. Acta denique et documenta novam dioecesim spectantia, clericos videlicet, fideles bonaque temporalia, a Curia Limana ad Callaënsensem transmittantur, in tabulario religiose custodienda. Haec quae praescripsimus ad effectum deducat venerabilis Frater Romulus Carboni, vel ab eo delegatus sacerdos, congruis de more exaratis documentis, ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittendis. Hanc autem Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus, contrariis minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.*

<i>Pro S. R. E. Cancellarius</i> HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consist. Pro-Praefectus</i>
---	--

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Josephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 17, pp. 1105-1107 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana